

sacrorum canonum decreto ab ecclesiasticis personis quotidie horis diurnis et nocturnis nomine Ecclesiae ad Deum persolvendas Ita *Laym.* l. c.

1027. Q. II. Quot sunt partes Breviarii? R. Undecim. 1. Calendarium. 2. Rubricae generales. 3. Psalterium. 4. Proprium de Tempore. 5. Proprium Sanctorum. 6. Commune Sanctorum. 7. Officium B. V. M. 8. Officium Defunctorum. 9. Quindecim Psalmi Graduales, quos teste *Cornelio a Lapide* populus hebraicus in gradibus templi Salomonis psallere solebat. 10. Psalmi Poenitentiales cum Litanis omnium Sanctorum, Ordo commendationis animae, Benedictio mensae, et Itinerarium Clericorum. 11. Officia ad libitum.

1028. Q. III. Unde proveniat obligatio recitandi Breviarium? R. Ex antiquissima consuetudine legitime introducta, quae habet vim legis, ideoque praeceptum de recitandis horis canonicis non est juris divini, sed positivi ecclesiastici, quia nec ex sacra Scriptura, nec ex traditione, nec ex Sanctorum Patrum testimonio colligitur, eas esse institutas jure divino. Ita communior sententia Theologorum et Canonistarum contra *S. Antoninum*, *Abbatem*, *Rosellam* et alios, qui defendunt, recitationem Breviarii esse de jure divino, quorum argumenta scite solvit *Sylvester V.* Hora, q. 8. n. 9. Horum discrepantiam erudite conciliat *Clericatus* de Sacr. Ord. decis. 25. num. 19. asserens, quod Pensum jure divino et naturali praecipatur personis ecclesiasticis, modus autem et ritus hoc determinate officium recitandi sit de jure ecclesiastico.

1029. Q. IV. Quis redegerit in hanc formam horas canonicas? R. Certo affirmari nequit, quis fuerit primus et proprius auctor; *longinquitate enim temporis saepe fit, ut originis ratio lateat*, ut ait can. 6. Concilium Toletanum VI. Modum et formam quamdam praebuit ipsa Scriptura, et exemplum Apostolorum. Psalmista David psalm. 118. v. 62. dicit: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*; et v. 164. *Septies in die laudem dixi tibi*. Apostoli vero ac Discipuli orabant hora tertia quando super eos descendit Spiritus Sanctus. Actor. 2. v. 15.; s. Petrus hora sexta orationi vacabat. Actor. 10. v. 9.; et ad templum cum Joanne ascendit *ad horam orationis nonam*. Act. 3. v. 11. Successu temporis in eum ordinem, quem nunc tenemus, Breviarium redegerunt summi Pontifices. *Primo* quidem Theodosius Imperator (ut testatur *Gonzalez* in cap. 1. de celeb. miss. num. 19.) rogavit s. Damasum Papam circa annum 368., ut divinum officium pro singulis horis melius disponeret, qui hoc negotium commisit D. Hieronymo: hic Psalterium, Evangelia et Epistolas distribuit, quod opus s. Damasus postea approbavit, et in omnibus Ecclesiis observandum praecepit, statuitque, ut in fine cujuslibet psalmi diceretur *Gloria Patri* etc. *Secundo*, circa annum 494. *Gelasius* Papa in Concilio Romano confirmavit lectiones, quae ex utroque testamento positae sunt in Breviario legendae pro tempore, ut eruitur ex cap. *Sancta*. §. 82. dist. 15.... *Tertio*, sequente saeculo VI. *S. Gregorius M.* denuo emendavit priorem formam, quae duravit usque ad annum millesimum. Saeculo XI. a *Gregorio VII.* denuo reformata forma antea prolixior, quam adhuc in breviorum methodum redigendam *Innocentius III.* anno circiter 1200. tradidit *Haymonio* Ministro Generali Ordinis s. Francisci, quam approbavit *Gregorius IX.* Irrepsere nihilominus novae lectiones, et mutilationes psalmodiarum; hinc denuo ad legitimam formam reduxit *S. Pius V.* anno 1568., ut patet ex ejus Bulla: *Quod a nobis*. Postea quia Breviarium denuo ob incuriam typographorum, et audaciam aliquorum erat aliquantum depravatum, denuo emendatum fuit jussu *Clementis VIII.* anno 1602. per Bullam: *Cum in Ecclesia*. Denique *Urbanus VIII.* anno 1631. aliqua, quae in hymnis a

metri elegantia deflectebant, castigavit. Bullas mox citatas vide ab initio Breviarii.

1030. Q. V. Quinam obligentur ad recitandum Breviarium? R. Tria genera personarum ecclesiasticarum ad hoc tenentur. 1. *Clerici beneficiati*. 2. *Religiosi Clerici*. 3. *Constituti in ordinibus sacris*, nempe Subdiaconi, Diaconi, et Presbyteri.

1031. Dixi *primo*, *Clerici beneficiati*; hi enim sub gravi peccato tenentur ad recitationem Breviarii, et si omiserint sine legitima causa, ad restitutionem fructuum; nomine autem beneficii (ut ait *Clericatus* de Sacr. Ord. decis. 25. num. 23.) veniunt Episcopatus, Canonicatus, Praepositurae, Parochiae, Beneficia simplicia, qualia sunt Clericatus ac Praestimonia, necnon Capellaniae Ecclesiasticae, hoc est, auctoritate Episcopi erectae. Haec obligatio patet ex Concilio Lateranensi sub *Leone X.* sess. 9. §. *Statuimus*, ubi exprimitur communis illa regula: *Beneficium datur propter officium*. Item ex Constit. *S. Pii V.*, quae incipit: *Ex proximo*, in qua expresse ita habetur: *Nos huic rei evidentius atque expressius providere volentes, statuimus, ut, qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii seu beneficiorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur: qui vero matutinum tantum, dimidiam: qui caeteras alias horas, aliam dimidiam: qui horam singulam, sextam partem fructuum ejus diei amittat; tametsi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis canonicis cum aliis praesens adsit, fructusque et distributiones forte aliter assignatas, sola praesentia, juxta statuta, consuetudinem, vel alias sibi lucrificasse praetendat; is etiam praeter fructuum et distributionum amissionem, grave peccatum intelligat se admisisse*. Ad plures casus resolvendos observa:

1032. I. Probabilis esse judicat *Suarez* tom. 2. de virt. et statu Relig. L. 4. c. 19. n. 7. contra *Navarrum*, quod Beneficiatus non obligetur ad recitandum officium ratione solius tituli ante acquisitam possessionem, nisi per Beneficiatum stet habere illam; quia, licet quis habeat dominium radicale seu proprietatis beneficii a die collationis, nondum tamen habet dominium utile; ideoque non videtur obligatus ad laborandum in vinea Domini, donec utilitatem ex illa accipiat.

1033. II. Qui malitiose moras trahit, aut negligit, aut impedit, quo minus beneficii possessionem consequatur, tenetur recitare officium; quia per talem vere stat habere possessionem beneficii; nec fraus aut negligentia debet illi prodesse, neque Ecclesia privanda est officio suo propter culpam Beneficiati. *Suarez* l. c. n. 8., ubi addit: Si vero talis moralem diligentiam adhibeat, rationabiliter excusatur a recitatione Breviarii, donec possessionem accipiat. Similiter n. 9. contra *Navarrum* resolvit, illum, qui acquisito jure ad beneficium per litem impeditur, ne possessionem accipiat, non teneri pro eo tempore ad recitandum ratione solius tituli.

1034. III. Post titulum, et pacificam possessionem beneficii per se loquendo, statim quis tenetur recitare, quamvis fructus beneficii non statim accipiat, modo habeat moralem spem certam obtinendi illos: quia talis perfecte et complete habet beneficium. *Suarez* ibid. c. 20. num. 1. et num. 16. resolvit, illum, qui post acceptam possessionem beneficii ita privatur fructibus, ut ea privatio sit quasi perpetua beneficii spoliatio, non teneri recitare horas, eoquod tunc perinde se habeat, ac si non haberet stipendium; secus si ablatio fructuum non sit perpetua. Dixi supra, *per se statim tenetur*: quia ratione diversarum consuetudinum variarum Ecclesiarum tum Cathedralium, tum Collegiatarum neo-Canonici illis annis, quos vocant annos Carentiae, nondum obligantur ad pensum horarum; unde

respicendum est ad statuta et consuetudinem Ecclesiarum. Idem *Suarez* sequenti cap. 21. num. 5. tenet, etiam ex beneficio tenui oriri obligationem recitandi horas; quia, dum jus cap. ult. de rescript. in 6. dicit, beneficium dari propter officium, indistincte loquitur; ergo non tantum sufficiens, sed etiam tenue beneficium comprehendit. Contrarium defendunt *Lessius*, *Tambur.* et alii apud *Gobat* tr. 5. Theol. Exper. n. 578. Tenue beneficium *Sanchez* et *Viva* censent esse illud, quod non suppeditat tertiam partem congruae sustentationis.

1035. IV. Qui possidet duo beneficia, non nisi semel de die tenetur recitare horas canonicas: similiter sentiendum de eo, qui est Sacerdos, Parochus, et Religiosus. Ita *Gobat* l. c. n. 579.

1036. Dixi secundo, quod ad recitandum Breviarium teneantur Religiosi Clerici. Hanc obligationem dupliciter esse spectandam, recte observat *Laym.* l. c. c. 4. Primo: quatenus illa incumbit toti Communitati sive Capitulo, imprimis autem Praelato, cui absque dubio sub gravi peccato incumbit curare, ne in sua Ecclesia officium divinum statis horis praetermittatur. Secundo: quatenus illa obligatio afficit singulos Religiosos utriusque sexus, qui Religionem choro addictam professi sunt, de quibus duplex est sententia: alii enim cum *Medina*, *Cajetano*, *Armilla*, et gravissimis AA. sentiunt, Religiosos Professos non existentes in Sacris non teneri sub peccato gravi de jure dicere officium, neque ex professione, neque ex victu, nisi Ordinis regula vel consuetudo vim regulae obtinens ita statuatur. *Laymann* vero cum *S. Antonino*, *Bellarmino*, *Azorio* et aliis l. c. n. 2. intrepide affirmat, contrariam sententiam tenendam esse, quod singuli Religiosi (exceptis Novitiis, et Fratibus Laicis), qui profitentur Religionem choro addictam, aequae ac majoribus ordinibus initiati obligentur ad Breviarium vi consuetudinis generalis, quae in omnibus Religionibus choro addictis cum tali obligatione acceptata est, consentientibus Praelatis ac Superioribus. In hac sententiarum varietate *Gobat* l. c. n. 571. ita resolvit: si Religiosus in Sacris nondum constitutus, aut monialis confiteatur, se aliquoties non persolverisse horas canonicas, expedit interrogare, quisnam in ejus monasterio sit communis sensus de gravitate culpae ex omissione Breviarii. Dixi: quisnam sit communis sensus, scilicet tum Superiorum, tum subditorum ejusdem Ordinis; neque enim a particularis cujusdam personae opinione regula obligationis desumi prudenter potest. Vide *Donatum* de Regularibus tom. 4. t. 18. q. 9. n. 5. ubi demonstrat, monialem teneri privatim officium recitare, quando in choro ipsum non persolverit; postea affirmare non dubitat: *Contraria opinio mihi videtur omni probabilitate carere, ne dicam, quod sit temeraria contra communem, scandalosa, et odiosa saluti animarum.* Sic ille. Idem sentiunt *Salmant.* de Horis Canon. c. 2. n. 19., *Babenst.* T. V. d. 2. a. 3. a n. 25., ubi etiam a n. 32. erudite solvit objectiones.

1037. Tertio. Ad recitandas quotidie horas canonicas obligantur sub peccato gravi omnes, qui ad ordines sacros sunt promoti. De hac obligatione *Benedictus XIV.* in instructione super dubiis ad ritus Costorum, quae incipit: *Eo quamvis tempore*, et habetur in Tom. I. ejus Bullarii pag. 511. §. 43. ita docet: *In Ecclesia Occidentis imposita est Presbyteris, Diaconis et Subdiaconis dicta obligatio, scilicet dietim recitandi Officium divinum, quamvis nullum beneficium Ecclesiasticum fuerint assequuti. Cohaeret enim ordini sacro diurnum pensum horarum canonicarum, illudque veteri traditione acceptum, et immemorabili consuetudine in more positum fuisse, docet communior Theologorum opinio.* Juxta *P. Gobat.* in Theol. exper. n. 561. haec obligatio incipit, ut primum aliquis insignitur Subdiaconatus or-

dine; ita ut illo die non quidem teneatur dicere omnes horas, sed illas, quae a tempore correspondente horae ordinationis secundum consuetudinem Ecclesiae solent recitari, v. g. incipiendo a Sexta vel Nona.

1038. Q. VI. Quatenam materia censenda sit gravis vel levis in omissione horarum? R. Ad committendum peccatum mortale requiritur ommissio partis notabilis, v. g. horae minoris, aut integri nocturni cum suis lectionibus. Ratio est, quia (ut ait *Stoz* L. 1. p. 3. q. 3. n. 382.) Ecclesia pia mater praesumi non potest, aeternae damnationis reum velle illum facere, qui leviores partes omittit. Ibidem n. 380. ex *Diana P. Stoz* ait, a sacra Congregatione improbatam esse sententiam eorum, qui putant unam ex horis minoribus esse materiam levem.

1039. Q. VII. Quatenam causae excusent a recitatione Breviarii? R. Quatuor sunt causae excusantes: 1. Impotentia physica, et moralis. 2. Caritas proximi. 3. Metus. 4. Dispensatio. Ita *Clericatus* de Sacram. Ordinis decis. 27. p. 29. cum *Sanchez*, *Reginaldo*, et *Gobat*.

Dixi primo, excusat impotentia physica; sive ea sit intrinseca, quae oritur ex defectu corporali intrinseco, ut contingit in coeco et muto, sive sit extrinseca, ob defectum alicujus medii extrinseci ad recitandum necessari, qualis est defectus Breviarii. Ratio horum est, quia impossibile non est obligatio. L. impossibilem. ff. de R. J. Haec impossibilitas interdum est inculpabilis, v. g. si quis Breviarium in itinere amittat, et aliud habere non possit; interdum vero est culpabilis, v. g. quia studio abjecisti, vel domi reliquisti breviarium, praevidens, te alibi nullum esse accepturum. In hoc casu eo die peccas mortaliter, quo voluntarie abjecisti Breviarium: reliquis vero diebus, quibus Breviario carere cogaris, non peccas, quia illae omissiones non amplius sunt voluntariae, ut supponitur: secus si non sit retractata prior voluntas; tunc enim sequentes omissiones censerentur adhuc voluntariae. Ita *Stoz* l. c. n. 420. Impotentia moralis tunc adesse censetur, quando non nisi cum maxima difficultate recitari potest Breviarium: sic excusat gravis infirmitas, de qua *Stoz* l. c. tradit sequentem regulam: Infirmitas, ut excuset, non debet esse levis (haec enim non adfert morale impedimentum) nec debet necessario esse gravissima, sed sufficit, si sit notabilis, ita ut ex recitatione immineat grave valetudinis incommodum, v. g. magnus dolor capitis, virium lassitudo notabilis etc. Ratio est, quia incredibile videtur, piam matrem Ecclesiam cum tanta severitate hoc pensum horarum a graviter infirmo exigere. Si dubium adsit, an infirmitas censi debeat sufficienter excusans, standum est iudicio Superioris, aut alterius viri prudentis, Confessarii aut Medici, ne plus tribuatur imaginationi, quam veritati: quamvis enim Confessarius vel Medicus dispensare in hoc casu nequeat, potest tamen infirmum dubio liberare, et secundum praesentes circumstantias declarare, justam excusationis causam adesse. Ita *Laymann* l. c. cap. 6. n. 1. Ibid. huc reducit casum, quo quis ex inculpata oblivione unam vel plures horas omittit. Ex his

1040. Porro resolves I. Carens Breviario, coecus, vel oculis graviter laborans, si totum Officium, vel notabilem illius partem sciat memoriter, tenetur recitare; quia hic nullam habet impotentiam implendi praeceptum, sed commode, ut supponitur, potest saltem partem implere; ergo tenetur. Ita *Sanchez* in Consc. mor. L. 7. c. 2. dub. 46., *Palao* et alii. Coecus tamen, nisi jam sciat memoriter magnam partem Breviarii, non obligatur, ut adhuc discat memoriter, quia hoc communiter est nimis difficile, et medium extraordinarium, ad quod nulla lex obligat. *Illsung* t. 5. d. 1. q. 1. a. 6. n. 41.

1041. II. Qui solus nequit recitare horas, posset autem cum socio, tenetur adhibere socium, si quem commode habere possit. Ratio est, quia

hic commode potest implere praeceptum; deinde qui obligatur ad finem, obligatur etiam ad media necessaria, quando ea absque extraordinario onere habere potest: atqui talis obligatur ad finem, scilicet recitandas horas, et socium, tanquam medium sibi ad hunc finem necessarium supponitur commode posse habere: ergo. Secus si non nisi magno sumptu socium possit habere; quia hoc modo esset onus extraordinarium, et nimis difficile. *Laymann* loc. cit. n. 2., *Bonac.*, *Illsung* et alii. Surdus non tenetur adhibere socium, quia ineptus est ad recitandum cum alio; tum quia totum id, quod alter recitat, non audit, ideoque non facit sibi commune; tum quia commode non potest respondere. Ita *Comm.* cum *Suarez*.

1042. III. Qui amisit, vel secum non habet Breviarium, ita ut non possit recitare Matutinum, ex Diurnali tamen (ut vocant) potest recitare reliquas horas, tenetur illas recitare, ut patet ex propositione 54. ab *Innoc. XI.* damnata. *Ratio* est, quia quando materia praecepti est divisibilis, tunc, qui non potest implere totum, tenetur implere partem, quam potest implere; sicut qui nequit solvere totum debitum, tenetur solvere partem, quam potest solvere. Recte tamen addit *Duarte V.* Horae Can. n. 306. quod aegrotus, qui non potest recitare Matutinum et Laudes, et dubitat, an possit recitare reliquas horas, non teneatur ad illas: quia hoc ipso, dum ejusmodi aegrotus dubitat prudenter, ideo dubitat, quia timet periculum detrimenti ex recitatione oritur: ergo merito censetur liber a recitatione; supponimus autem, non adesse tantum vanum timorem.

1043. Dixi *secundo*, quod excuset *charitas proximi*, uti si quis deberet tota die assistere infirmis et moribundis, ita ut non haberet moram recitandi horas. *Gobat* hic addit n. 727. extra necessitatem Jubilaei vel Paschatis rarissime posse omitti horas ob multitudinem excipiendarum confessionum.

1044. Gravis occupatio tunc solum excusat, quando vel non potuit praeveniri, vel nequit praetermitti sine gravi scandalo, aut proprio, aliorumve damno, ac insuper recitationem Officii secum non compatitur. Haec enim si concurrant, censetur adesse moralis impotentia. *Sanchez* l. c. dub. 52. Hinc qui praevidet ejusmodi occupationem cum recitatione Breviarii incompossibilem sibi obveneram, tenetur anticipare eam. Ita *Bonacina* de Hor. Can. disp. 1. q. 6. pun. 2. *Ratio* est, quia obligatio hujus praecepti durat tota die, et impleri potest certa diei parte, v. g. summo mane, uti supponimus, et simul praevidetur non posse impleri reliquis diei horis: ergo tunc debet impleri, quando potest.

1045. Dixi *tertio*, quod *metus* excuset a recitandis horis, scilicet si recitaturus Officium prudenter timeat grave aliquod corporis vel bonorum detrimentum, v. g. si quis Subdiaconus inter haereticos vel infideles degens recitando Breviarium incurreret grave malum, vel vitae jacturam. *Ratio* communis est, quia lex humana cum tanto detrimento non obligat. Ita *Sanchez*, *Tambur.*, et alii.

1046. Dixi *quarto*, quod quarta causa excusans a recitatione Breviarii sit *dispensatio*. Per se et regulariter solus summus Pontifex potest dispensare; quia Ecclesia condidit hanc legem per Pontificem tanquam Caput, ergo etiam potest per illum per se et regulariter eam tollere. Addit hic *P. Gobat* n. 729. quod Episcopus, *per se loquendo*, nequeat dispensare, cum inferior *regulariter* ac *per se* non possit relaxare legem Superioris, sed tantum per accidens, ubi de acquisito dispensandi jure constat. An, et in quibus casibus dispensare possint Superiores Religiosorum choro addictorum, et non habentium ordines sacros, desumendum est vel ex consuetudine legitima, vel ex specialibus privilegiis singulorum ordinum. *Illsung* t. 5. d. 1. q. 1. a. 6. n. 42. *Julius III.* in Bulla: *Sacrae Religionis*, Praepo-

sito Generali Soc. Jesu, et aliis, quibus ipse Generalis auctoritatem suam ad hoc communicaverit, concessit facultatem iis, quos ob infirmitatem judicaverint excusandos, commutandi divinum Officium in aliud opus pium, seu levioris orationem, durante tamen infirmitate.

1047. Excommunicati, suspensi, depositi, aut degradati, non liberantur onere recitandi Breviarium, ne ex propria iniquitate commodum ferant, ut docet *Laym.* l. 4. t. 1. c. 4. n. 4. cum communi. Hi tamen sub recitatione Officii debent omittere *Dominus vobiscum*. *Gobat* l. c. n. 731. cum *Sanch.*

De modo et ordine recitandi Breviarium.

1048. Q. I. Quomodo debeat recitari Officium divinum? R. Debet vocaliter recitari *studiose* et *devote*. *Probat*ur ex cap. *Dolentes*. 9. l. 3. Decret. tit. 41. de Celebr. Miss., quod desumptum est ex Concilio Gen. Lateran. sub *Innoc. III.* ubi expresse ita habetur: *Districte praecipientes in virtute obedientiae, ut divinum Officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter et devote; rō studiose* pertinet ad officium oris, ita ut recitari debeat Breviarium integre, rite, ordinate, tempestive, absque syncopatione, omissione verborum, abscissione syllabarum, et juxta ritum Breviarii Romani: *rō devote* pertinet ad officium mentis, ita ut debeat recitari cum debita intentione et attentione. Devotio enim proprie nihil aliud est quam prompta voluntas exequendi ea, quae ad divinum cultum pertinent: improprie sumitur pro interno solatio orto ex oratione.

1049. Q. II. Quid, et quotuplex sit intentio? R. Intentio est actus voluntatis, quo quis deliberate hoc vel illud agere statuit, v. g. recitare horas. Intentio haec alia est actualis, alia virtualis, alia habitualis. *Actualis* est actus voluntatis, sive propositum nunc existens ad hoc, vel illud agendum, v. g. ad recitandum Breviarium. *Virtualis* est intentio actualis praeterita realiter perseverans in serie actionum ad eundem finem intentum ordinarum, v. g. dum quis praemissa intentione actuali arripit Breviarium, vadit ad chorum, incipit horas secundum ordinem et ritum, quin actualiter denuo cogitet: volo recitare, vel recito Breviarium. *Habitualis* est intentio actualis praeterita tantum non retractata; haec potest esse in dormiente. Virtualement alii confundunt cum interpretativa et implicita, quam nos dicimus esse in eo, qui incipit opus eo animo ac deliberatione, ut quaerenti, quid agat, vere possit affirmare: Recito Breviarium. Vide dicta n. 44. et seq.

1050. Q. III. An obligatus ad horas teneatur illas recitare cum aliqua saltem intentione orandi? R. *Affirmative*. 1. Quidem requiritur *aliqua saltem intentio*, quia alias illa recitatio sine intentione non esset actio humana, qualis certe praecipitur ab Ecclesia. 2. Requiritur saltem *aliqua intentio orandi*, scilicet vel actualis, vel virtualis, vel saltem implicita. *Ratio* est, quia prudenter non potest praesumi, recitationem Breviarii ex alio fine praecipitur ab Ecclesia, quam ad colendum Deum; ideoque directe praecipit recitationem tanquam opus externum, indirecte autem animum sive voluntatem colendi Deum. *Confirm.* Nuda lectio rerum contentarum in Breviario est res mere indifferens; imo illa lectio in idiomate ignoto est actio puerilis (ita enim se habet, sicut labor puerorum, qui discunt legere linguam sibi ignotam); atqui non est credibile, quod Ecclesia, atque omnes Superiores Ecclesiastici tot legibus ac statutis urgeant publicam atque privatam recitationem Breviarii, nisi velint eam persolvi tali modo, qui ex indifferente faciat bonam ac meritoriam; ergo. Accedit, quod Breviarium olim vocatum fuerit *Orarium* ab orando: ergo recitatio Bre-

viarii aliter exercita non fuit, nisi per modum orationis. Ita *P. Gobat* in Theol. exper. t. 5. a. n. 740. cum *Suarez* et communi Theol. et Canon. contra *Dicastillo*. Hinc idem *P. Gobat* n. 753. cum *Aragonio* resolvit, quod is, qui recitat divinum Officium, non animo orandi, sed aut se exercendi in legendo, aut psalmos addiscendi, teneatur illud reiterare, cum talis teneatur orare, et non orat.

1051. Q. IV. Quanam in praxi est optima intentio? R. Illa, quam in Breviario praefigit Ecclesia per orationem: *Aperi Domine* etc. et: *Domine in unione illius divinae intentionis* etc.

1052. Porro *observa*, quod non requiratur intentio implendi praeceptum de recitando Breviario, quia sufficit ponere opus praeceptum. Vide dicta in Part. I. de Legibus n. 174.

1053. Q. V. Quotuplex sit attentio? R. Duplex. 1. *Attentio interna*, et est actus intellectus, quo quis advertit ad id, quod agit. 2. *Attentio externa* consistit tum in externa compositione corporis in modum orantis, tum in eo, ut quis absteineat ab omni actione impossibili cum recitatione Breviarii, aut eam impediendo. *Attentio interna* iterum est triplex: *Superficialis*, *Litteralis*, et *Spiritualis* sive *Mystica*. *Superficialis* est advertentia animi ad verba, ut ea recte, secundum ordinem et ritum, ac integre proferantur, ita ut nihil omittatur, ac ne aliquis in eis erret, ut ait *S. Thom.* 2. 2. q. 83. a. 13. in corp. *Litteralis* est advertentia animi ad communem sensum, sive significationem verborum. *Mystica* sive *Spiritualis* est advertentia animi ad scopum et finem orationis, scilicet ad Deum, vel ad rem, pro qua oratur, ut ait *S. Thom.* Haec exercetur vel per memoriam praesentis Dei, quem quis vult colere, vel per recordationem beneficiorum, quae quis per orationem a Deo vult petere, vel per memoriam mysteriorum vitae ac passionis Christi ac Sanctorum. Ex his spiritualis est praestantissima; litteralis praevalet mere superficiali. Demum quaelibet harum attentionum alia est actualis, alia virtualis, sicut supra n. 1049. de intentione locuti sumus.

1054. Q. VI. An, et qualis attentio requiratur? R. 1. Exterior attentio adhibenda est sub mortali saltem hoc sensu, ne quis actionem omnino impossibilem cum oratione conjungat cum recitatione horarum. Hanc sententiam vocat omnium *P. Gobat* l. c. n. 806. R. 2. Praeter externam requiritur sub mortali etiam attentio interna actualis vel virtualis saltem superficialis. *Probat* utraque pars ex cit. cap. *Dolentes*, ubi egregie reprehenduntur *silentium in choro fugientes*, *effundentesque auditum ad sermones indebitos* (en defectum attentionis externae); et postea districte praecipitur, ut *studiose* ac *devote* persolvant divinum Officium: atqui hoc fieri nequit, exclusa omni attentione interna: ergo. *Confirm.* Contraria sententia requirit intentionem saltem virtualementem et implicitam colendi Deum, vel orandi: atqui haec intentio non subsistit cum exclusione omnis attentionis internae, cum oratio ex essentia sua sit elevatio mentis in Deum; ergo. *Accedit*, quod recitans Breviarium sine ulla attentione saltem superficiali se exponat periculo, non tantum verba sed et integros sensus mutilandi, omittendi etc. Denique abhorret animus cogitare, satisfieri menti Ecclesiae vel per privatam deblaterationem (sit venia verbo) psalmorum acceleratam, et psittacorum more prolatam. Ita *Laym.* l. 4. t. 1. c. 5. n. 10. cum gravibus auctoribus contra *Durandum*, *Angelum*, *Rosellam*, et alios. Dixi, quod requiratur saltem attentio interna superficialis; quamvis enim perfectior sit oratio cum attentione spirituali vel litterali; per attentionem tamen superficiale conjunctam cum debita intentione sufficienter salvatur oratio vocalis quoad substantiam: neque

ostendi potest lex, qua plus *necessario* requiratur. Nec quisquam diffitebitur, Moniales, aliosque idioma, in quo recitant, non intelligentes, cum attentione superficiali satisfacere.

1055. Q. VII. Quanam sint media servandi attentionem contra irruentes distractiones? R. Alia sunt *negativa*, v. g. non circumvagari oculis, non properare ad alia negotia etc. Alia *positiva*, v. g. frequenter renovare intentionem laudandi Deum, quod fieri facile poterit in fine psalmorum devote pronuntiando, *Gloria Patri*..., saepius meminisse praesentis Dei, sensum verborum bene intelligere, ideoque interpretes psalmorum saepe consulere, attendere in homiliis ad doctrinas Patrum, vel in aliis lectionibus ad vitas et virtutes Sanctorum, denique pie attendere ad mysteria Passionis, quae per septem horas denotantur, juxta notos versus pro juvanda memoria:

Haec sunt, septem propter quae psallimus horis:
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat,
Prima replet sputis, causam dat Tertia mortis,
Sexta cruci necit, latus ejus Nona bipartit,
Vespera deponit, tumulo Completa reponit.

Porro sensus scripturae 1. est *litteralis*, quem Spiritus S. proxime et immediate intendit, et *mysticus*, qui per rem, quae verbis indicatur, remote significatur. 2. Alius est *verus*, quem Deus directe intendit; alius *accommodatitius*, quem homines ad res aliquando similes accommodant. 3. Etiam solemniter dividitur in Litteralem, Allegoricum, Moralem, et Anagogicum, juxta sequentes versus:

Littera gesta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quid speres Anagogia.

Quatuor hi sensus exprimuntur in vocabulo Jerusalem; in sensu litterali significat Metropolim Palaestinae; in allegorico Ecclesiam militantem; in morali vel tropologico animam hominis; in anagogico Ecclesiam triumphantem. *S. Hieronymus* excelluit in exponendo sensu litterali, *S. Ambrosius* in allegorico, *S. Augustinus* in anagogico, *S. Gregorius* in morali sive tropologico.

1056. Ex dictis *resolves*: I. Ille satisfacit praecepto, qui cum bona intentione incipit, et cum sufficienti attentione superficiali pergit recitare horas, etsi patiat distractiones. *Dicendum enim* (ait *S. Th.* 2. 2. q. 83. a. 13. ad 1.) *quod in spiritu et veritate orat, qui ex instinctu Spiritus* (cum bona intentione) *ad orandum accedit, etiamsi ex aliqua infirmitate mens postmodum evagetur.*

1057. II. Cum illis distractionibus tantum non satisficit praecepto, quae tollunt omnem attentionem superficiale; secus de illis, quibus sive voluntarie, sive involuntarie admissis, recitans nihilominus advertit, se nihil omittere, nihil perperam pronuntiare etc. Ideoque is, qui sub recitatione deliberate exercet actiones cum attentione superficiali impossibiles, quales sunt v. g. legere, scribere, confabulari, per fenestras prospicere, ubi frequens est populus, vel alia objecta, quae non ad distractiones tantum, sed ad peccata graviora alliciunt, et ad illa oculos convertere etc., idque per notabilem partem Officii, talis, inquam, non potest dici satisfacere, teneturque repetere eam partem, quam persolvit inter tales distractiones: quia nullam potest dici habere attentionem, et voluntarie conjungens actiones impossibiles, interpretative censetur nolle recitare horas: ergo. Vide *Laymann* l. 4. t. 1. c. 5. num. 12., *Suarez*, *Bonac.* Dixi de distractionibus per notabilem partem Officii; cum enim in hac materia